8 10/1 1015 Wm Mellgum Cork 1015.

DE

MORBIS VIRGINUM QUIBUSDAM, A MENSIUM VITIIS ORIUNDIS,

TENTAMEN INAUGURALE.

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

HENRICUS HARRIS,

HIBERNUS.

Soc. Reg. Med. Edin. Soc. Extraord.

Soc. Chir.-Med. Soc. Hon. et Praeſ. Ann.;

Necnon, Societat. Phyſic. Soc. Hon.

Ad diem 24. Junii, hora locoque ſolitis.

Oh, Virgins! on a melancholy ſtrain
Is my ſad ſoul employ'd.——— *Weſt's Iphigenia of Euripides*

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXX.

7580. b. 48 1-8

BRITISH MUSEUM

NOBILISSIMO

DAVIDI STEUART,

COMITI DE BUCHAN,

DOMINO DE AUCHTERHOUSE,

GLENDOVACHY, ET CARDROSS,

M. D. ET L.L. D.

SOCIET. REGAL. LOND.

SOCIET. ANTIQUAR.

SOCIET. PHILOSOPH. EDIN. &c.

SODALI,

SCIENTIÆ OMNIGENÆ,

TAM CULTORI,

QUAM MÆCENATI,

GRATI ANIMI,

INDIGIUM PARVULUM;

BRITISH MUSEUM

NECNON,

EDVARDO HODSON,

DE RATHFARNHAM,

IN COMITATU DUBLINIENSI,

ARMIGERO;

TUM OB MORUM COMITATEM,

QUUM OB SUMMAM PROBITATEM,

INSIGNI,

IN AMICITIÆ ET OBSERVANTIÆ

TESSERAM,

PRIMITIAS HASCE, QUALESCUNQUE SINT,

SACRAS VOLUIT

HENRICUS HARRIS.

Miss Campbell

as a slender Proof

of the sincere Esteem

& Friendship of

her very hble Servt

The Author.

DE

MORBIS VIRGINUM,

TENTAMEN INAUGURALE.

I.

ANTEQUAM exitialem depingere catervam morborum ſexui obnoxiorum ſequiori, hiſce potiſſimum, quae " nec quid Hymen, quid amor, " quid ſint connubia curant," atque affectus hoſce ſingulatim quam maxima brevitate potero tractare memet accingam, pauca, ut mihi videtur, minime argumento ſupervacanea noſtro, forſitan praemittere licebit.

Haud ignarus eram, ad operis hujus ingreſſum, rem quam hic tentare auſus ſum tanti fore; neque me latuit, ſynopſin talem, campum veluti interminatum, tam longo patere circuitu, ut intra tentaminis limites inauguralis haud facile redigi poſſet, niſi nonnulla ſilentio

lentio praemittere alto accederem, quae abs noſtro neque ſane abhorrerent propoſito, neu profecto abſolverer, me judice, ſi vilipenderem aut pauci haberem.

Si vero, intra opuſculi hujus fines, ea quae maxime virginum affectus ſpectant, eorumque curationem, ſecundum uſum hodiernum, caute atque fideliter tradere tentaverim; ſi auctorum, tum veterum, quum recentiorum, ſententias ſubinde conſulerim, adduxerim, atque coacervaverim; ad ea, quae mihi apprime utilia, tanquam rationi atque experientiae conſentanea credidi, ſtabilienda; denique, ſi ſuppellectilis diſpoſitione methodica, argumentationes meas quam potui concinnas atque obvias efficere conatus ſim; minime in dubio haeret animus, quin, ab hiſce omnibus rite perpenſis, ad arbitrium candidi lectoris, haud poenas judicii ſeverioris luere ipſe, juvenis auctor, damnabor.

Judicavi quinetiam, antequam inveſtigationem phaenomenum fluxus menſtrui aggrederer, operis pretium fore expoſitionem partium huic inſervientium anatomicam ſtatuere, catteroque ſermoni praemittere; quia, ex conſpectu tali luculenter poſito, omnis inductio phyſiologica eo melius patebit; et exinde quoque con-

conſequentia pathologica (cui etenim praecipue innititur) effluere oportet; quippe, ut recte intelligantur *effectus*, eorum *cauſae* prius nobis ſatis innoteſcere debent.

De Uteri Anatomia.

II.

Uterus muliebris, ſive matrix, in pelvis parte ſuperiore, et hypogaſtrii inferiore, inter veſicam urinigeram et inteſtinum rectum oblique ſedet; huic etiam ad ejus cervicem arcte adnectitur. In hoc ſitu, ab oſſe pubis antrorſum, deorſum ab oſſe ſacro, et utrinque ab oſſibus iliis munitus.

III.

Cavus eſt et triqueter, lagenae inverſae ſeu pyri aliquantulum compreſſi, ſpeciem prae ſe ferens; tres digitos longus, duos latus, uniuſque plerumque digiti craſſus. Apud innuptas, vix amygdalae molis capax videtur; puerperis capacior, gravidis autem capaciſſimus exit, formam quippe priſtinam tunc temporis pedetentim diſperdit.

IV.

Auctores in partes rurſus diviſerunt tres; ſcilicet, *fundum*, qui pars eſt latior, ſummaque; *cervicem*, quae inferior et coarctata; atque *corpus*, quo nomine uteri pars reliqua gaudet. In partem vaginae poſteriorem cum cervice hiat *os internum*, vel *os tincae*, ut a quibuſdam dicitur; in virginibus minimum, iis quae pepererunt et gravidis vero aliquid majus; his poſt conceptum os uteri ſtatim anguſtiſſime clauditur †, liquore gelatinoſo quodam, a ductibus inter rugas internas ortis, effuſo ‡, ne ſpes materna, cum ſobole exigua, lapſa periret.

V.

Ligamenta duo utrinque, *lata et rotunda*, ad uteri fulcimina inſerviunt.

VI.

Ligamenta lata tantummodo peritonaei ab uteri lateribus productiones ſive propagines ſunt; quae, propter

† Hippocr. Aphor. 51. § 5.

‡ Morgagn. Adverſ. I. § 31.

propter magnitudinem atque figuram ſuam, nomen *alarum veſpertilionum* adeptae ſunt; ad extremitatem eorum ſuperiorem ovariis alligantur, atque decurſant *tubae Fallopianae*: pelvis parietibus denique adnexa tuto adminiculo definunt.

VII.

Ligamenta rotunda parvuli fibrarum muſcularium, vaſorum, et nervorum plexus ſunt, membrana communi implicati; qui, poſtquam utrinque muſculorum externorum obliquorum atque tranſverſalium annulos perforaverunt, cordae ſpermaticae apud viros inſtar, demum in adipe inguinum evaneſcunt, et aliquatenus ſummo femori affixa inſeruntur.

VII.

Subſtantia uteri in non gravidis denſa et firma; in gravidis autem ſpongioſa eſt, et, quanquam dilatata, haud exinde tenuior exiens: In fundo pulpoſus, in cervice autem calloſus eſt, valvuliſque crebris abundat.

Muſcu-

Muſculoſa eſt, ex fibris carneis pulchre admodum compoſita, in plexum retiformem ita internexis, ut in faſciculos abeant multiplices, et horum quiſque ſimul ac ſemel directionem ſibi propriam conſervet; ad uterum quoquoverſus fortiter contrahendum, cum onus novimenſale in lucem propulſare ſuis enititur viribus natura. Aliquid *vaſculoſae* atque *celluloſae* ſtructurae obtinet; quinetiam et in hujuſce interſtitiis nonnullis collocare placuit glandulas confertas, mucoſas, quarum ope, copia ſat ubera humoris lubrici ad officia ſua fungenda ſecerneretur.

IX.

Tunica *membranoſa*, a peritonaeo orta, prius involvitur uterus; tum accedit *carnoſa* ſeu *muſculoſa*; denique tunicam dat uteri ſuperficiei internae *epidermis* continuata, reflexaque ſurſus per vaginae meatum. An his addamus *membranulam* in cavitate uteri *poroſam*, *nerveam* a Cl. Morgagnio † viſam, in virginibus parvam,

† Morgagn. Adverſ. I. tab. 3.

parvam, et in puerperis minime notandam †, qualis Winſloius ‡ etiam celeber ſe conſpexiſſe affirmat?

X.

Nervi uteri atque ejus appendicum, a plexu meſocolico, oſſis ſacri, et intercoſtalibus, exoriuntur.

XI.

Vaſa lymphatica, licet ab anatomicis antiquis utero humano omnino defuiſſe rata, attamen a neotericis quibuſdam § viſa ſunt; praeſertim in gravidis, quanquam Hallerus de his ex toto filet. In uteri ſuperficiem externam, et cervici propius, prae aliis ejus partibus, ſcatent, et ſenſim in ramificationes ampliores abeuntia, ſicuti alioquin, tandem in chyli receptaculum, innumeris obrepentia flexionibus, ſeſe exinaniunt.

XII.

† Morgagn. Adverſ. IV. p. 47.
‡ Expoſit. Anatom. p. 574.
§ Morgagn. &c.

XII.

Arteriae quae utero famulantur, ſunt: *(a.) Spermaticae*, quae, ut in viris, quatuor ſunt; in his autem multum inter ſexus diſcrepat, nempe, foeminis curtiores ſunt †; arteria meandris atque convolutionibus ſpiſſis, ſecus ac in viris, ab aorta deſcendit, uſquedum in duos dividitur ramos, quorum *gracilior* in ovarium diſpenditur; *major* in tres alios abit, horum *primus* in uterum, *ſecundus* in vaginam, atque *tertius* ſupra ligamenta tubaſque Fallopianas conſperguntur. *(b.)* Maximae uteri arteriae ab hypogaſtricis ‡, ſive ab iliacis *internis* §, oboriuntur: Forſitan ramos accipiat pauculos interdum ab *externis* etiam ‖. *(c.)* Quaedam ſubinde ab haemorrhoidalibus externis ¶ et mediis †† competit; quae omnes porro anaſtomoſes millenas quaquaverſus pulcherrimas habent.

XIII.

† Keill.
‡ Heiſter. compend. Anatom.
§ Cheſelden.
‖ Van Swieten de Morb. Virg. comment.
¶ Heiſter.
†† Haller, P. Lin.

XIII.

Quoad *ſinus*, a quibuſdam anatomicis † inter vaſcula uterina falſe cerni credita, quum tales Hallerus, Keill, Heiſterus, turbaque auctorum optimorum conferta, neutiquam agnoſcunt, abs recto tramite memet prorſus aberraſſe crederem, ſi fidem opinioni tali adhibere mallem; eo plus quoque a me abhorret ſententia, quia ex toto eam reſpuere Cl. Monroium ‡ audivi, affirmantem ſe nunquam receptacula talia inter uteri vaſcula reperiri poſſe, etſi in extiſpiciis gravidarum multum incubuit: Veruntamen ſub judice lis eſt, ambagibus adeo circumcirca gyrantibus, ut plurimum interea naturae ſimplicitas caſta, minime uti ſolet; potius ergo vaſorum *amplificationes*, ineunte graviditate, quam *ſinus*, nuncupentur cum Heiſter §.

XIV.

Venae ab arteriis communicantibus cognomina ſua ſortiuntur; atque in hoc locorum, valvularum expertes ſunt,

† Morgagn.
‡ Monroii Clar. Praelect. Anatom.
§ Compend. Anatom.

ſunt, ſi pauculas in ſpermaticis excipias; longe aliter ac in vaſculis caeteris ſanguiferis, horizonti perpendicularibus, res ſe habet, quae valvulis univerſe inſtruuntur.

XV.

Vaſa ſanguifera cuncta curſum in utero obtinent circumflexum tortuoſumque (XII.); communicationibus mutuis inter ſeſe ſcatent, et undequaque in uteri ac vaginae cavum decurrentia ſpectant, menſium excluſioni inſervientia, et foetus generationi atque incremento eleganter aeque ac mirifice inſtructa.

XVI.

Aſtrucius †, cum non poſſet ſibi alias phaenomena menſium conciliare, tandem, in *venarum appendicibus caecalibus* ſuis, facilem ſe inveniſſe ſolutionem opinatus eſt, fuſeque ad hanc hypotheſin ſtabiliendam ſcribendo nititur. Cum autem, in virginibus, haud conſpectui obvias, anatomici cultro ſolertiſſimi reddi unquam

† Malad. des Femmes.

quam posse fateatur; atque in gravidis partu propemodo correptis, non nisi diligentia summa et labore eas detegendas cedat; non possum quin conjicere fallaciam aliquam ei illusisse. Porro, siquidem in utero tales profecto extitissent *appendices*, mirandum est auctores fere omnes recentiores, qui anatomia colenda navarunt operam, tales vel silentio alto praeteriisse, vel ex toto abnegavisse. Vix iis omnibus prorsus latuisset vasculorum haecce series nova, si in viscere isto, qualiscunque sit, revera locum habuisset.

XVII.

Quandoquidem parum in votis fuit varias uteri appendices, scilicet, ovaria, tubas Fallopianas, &c. depingere, nec vaginae partiumque externarum structuram exponere, de iis ex toto silere statui; tum quod ad argumentum nostrum dilucidandum minime conferrent, quum ob otii inopiam atque suppellectilem multifariam, quam in hoc opusculo tractandam praevideo; ideoque omne abs re, de qua nunc agitur, alienum, sive sermonem nostrum parum argute spectans, sedulo praecavere oportet.

De Menſium Origine Legibuſque.

XVIII.

Cum ſexus ſequioris fabrica, et corporis univerſa compages, mollior, laxior, atque debilior ſit, quam virorum, agmini morborum confertiori eas exinde procliviores futuras, liquido conſtabit.

XIX.

Hicce quinetiam earum corporis ſtatus peculiaris maxima noxis fautrix eſt, quas aberrationes nonnullae † vel "in exuperatione vel defectu in catamenio-"rum profluvio," pro cauſis remotis, utplurimum, incuſare ſolent; de phaenomenis legibuſque horum ergo nos agere imprimis aequum eſt.

XX.

Menſes, fluxus menſtruus, catamenia, menſtrua, ſive *purgatio menſtrua,* ut magis veteribus placuit, ab eorum quamplurimis in artis medicae diluculo primo, nil aliud eſſe

† Hippocr. Aphor. 57. § 5.

esse inepte credebatur †, quam *noxii* cujusdam et *venenosi* excretio e corpore muliebri; ob symptomata gravia praegressa, et interdum ob sanguinis ipsius effusi colorem; quem discrimen aliquod inter et sanguinem aliunde recenter elicitum, ab iis non potuit non cerni; quando sanguinem ex utero distillantem, propter ejus aliquamdiu in ista cavea remoram, colorem obscurius rubentem adipisci par fuit. Sed hypothesin talem insulsam me silentio praetermittere melius esse duco, quam serio eam refellere curare, cum neutiquam operae pretium esset. FLORES pariter appellata sunt menstrua, quia *fructificationi* maturas, quando progerminant, virgines esse monent.

XXI.

Multiplices hucusque fuerunt auctorum sententiae, quas ad fluxus hujusce originem arcte investigandam, ejusque signa exponenda, per diuturnam saeculorum revolutionem, in mediam lucem proferre navarunt operam. Harum vero paucae tantummodo, eaeque veri-

† Plin. Albert. Magn. &c.

verisimiliores, sub recensione mea impraesentiarum in proclivi prostant.

XXII.

Erasistratus † primus fluxum huncce *Lunae* ab imperio ex toto dominari, opinionem instabilem moliri conatus est. Meadius ‡ etiam celeb. nititur pro viribus sub eodem vexillo, vim *fermentorum* simul incusans. Hae vero nequaquam pro causis efficientibus utrobique habendae sunt. Quemadmodum enim excretio haecce foeminarum unicuipiam evenit, " tam in " apogaeo quem in perigaeo §," liquet nos alias oportere vestigia quaerere certiora.

XXIII.

Nec est quod apud fermentum quodvis ponamus, ut nonnulli ‖ ; talis enim sententia nec argumentis validis nititur, neque aliquid est fluidi secreti, quod ab anato-

† Asclepiades ut alii volunt.
‡ De Imper. Sol. et Lunae.
§ Haller. Prim. Lin. 856.
‖ Mead, Pitcairn, &c.

anatomicis verſutiſſimis reperiri poſſit, in cadavere muliebri, unde pendere videretur fermentum hocce fictum.

XXIV.

Quibuſdam porro, magis arriſit in *liquore aliquo ſtimulante et acri* in ſinum muliebrum *ſecreto*, menſium cauſam inſtituere primariam; eo plus huic ſermoni innixis, cum effuſionis ſpeciem talis in quadrupedis, ad oeſtri venerei annui ingreſſum, haud inſolito inveniſſent, et in apricum tuliſſent. Sed minime confert hoc exemplum ad eorum ideam, velut ac naturae et veritati conſentaneam, comprobandam; tum quia, neque ſub tempus menſtruale, illas magis ſalaces evadere, ab iis ipſis cedatur, ſed potius conjugialem refugiſſe conſuetudinem, et maritorum amplexus aegre tuliſſe, feruntur; quum, propterea quod inter auctorum celebrium, qui ſententiam reſpuerunt, turbam, Hallerus rem ſe ita habere prorſus abnegat: "ubi," ut ſuis ſermonibus utar, "omnia blanda et mucoſa "ſunt †."

XXV.

† Haller. Prim. Lin. 856.

XXV.

Nonnulli insuper, a principiis mechanicis ratiocinantes *, nodum solvere Gordianum incassum aggressi sunt, et plethoram qualemcunque, neutiquam in mensibus educendis, opitulari volunt. Corpus humanum veluti hydraulicorum seriem intuentes, et horum legibus id obtemperare solummodo rati, consuetudinis potentia inexplicabili, vitaeque ipsius viribus miris occultis spretis; sed in hancce opinionem, utpote ingeniosam, perpauci inierunt physiologi, et fatum idem pariter cum supradictis sortita est.

XXVI.

Diu inter medicos denique et acriter disceptatum fuit, num a *plethora generali* corporis †, vel uteri ‡ ipsius, menses suffulti essent.

XXVII.

Fautores sententiae plethorae universae corporis, affirmant mensium excretionem exinde pendere par esse;

* Doctor Simpson.
† Friend Emmenolog.
‡ Astruc. Mal. des Femmes.
} Illustres hi rem praecipue versasse videntur in ambas argumenti sententias.

esse; quia, virginibus emansione vel obstructione laborantibus, sanguinis detractio, vel epistaxeos eruptio spontanea, haud raro sexus symptomata molesta sublevant; et quemadmodum gravidis lactantibusque deesse solet fluxus iste omnino: Prioribus etenim ad foetus in utero nutrimentum omnis tendit corporis superfluus sanguis; his autem evanescit sub lactis forma, ut a mammis hausta victum concoctionis et assimilationis facilem propagini praebeat tenellae, unde accrementum celerius capessat. Hisce aphorismum referas Hippocratis †, ubi gnaviter posuit, "Mulieris "menstrua si cohibere velis, cucurbitulam quam ma-"ximam ad mammas appone;" vimque derivationis Halleri passim.

XXVIII.

Qui, e contra, ideam plethorae in hoc viscere solummodo existentis, amplexi sunt, argumentis potissimum hisce incumbunt; scilicet, mulieribus quibusdam morte subita correptis, vel capite damnatis, cum ad eruptionis menstruae punctum e medio sublatae

† Hippocr. Aphor. 50.

latae fuerint, uteri intumeſcentia (et vaginae meatus interdum) et ſanguinis in eo congeſtio larga, non tantum facillime cerni poſſint, ſed ab imis ejuſdem vaſculis, minimaque eorundem ſerie quinetiam †, guttulas ſanguineas manu exprimere licebat.

In cacochymicis, pallidis,et marcidis, ubi plethora totius corporis ne quidem ſuſpicaretur, fluxus menſtruus nihilominus ſupervenire, tanquam robuſtioribus ſaniſſimiſque perſtat; neque venaeſectio, niſi rariſſime, terminum menſtruum, ultra ſtadium ſolitum inſequens, differre poteſt, ſicut evenire opus eſſet, ſi rationem plethorae totius corporis ſolam inire vellemus.

XXIX.

In calle inter ſermones ambos boſce medio, quomodocunque magnopere inter ſeſe diſcrepare videantur, veſtigia premere tutius et vero propius eſſe opinor; atque minime in dubio pectora noſtra labant, quin utrumque cum alterutro invicem facile ita conciliari poſſint.

XXX.

† Mauriceau, Littre, Morgagni, Spigelius, Highmore, Winſlow, &c.

XXX.

Eo tempore, quando excreta haud amplius pro ingeſtorum ratione temperantur, aequilibrii ſui jacturam facit corpus, plethoraque gignitur univerſalis: Cum enim neque excretio per cutem, nec lotium ad hoc intervallum augeantur (uti Viris ad plethoram amovendam ſubinde evenire a claris quibuſdam † dicitur,) nec alvum ſolito frequentius deponere foeminae aſſueſcunt; neu moderari poſſit alioquin ſanguinis et humorum copia haec reflua, ubertim efformata et aſſimilata: Exinde ſat liquebit, naturam oportere iter aliquidpiam antea impervium periclitari, ut ſarcinam adeo ſibi moleſtam quoquomodo deponat. Itidemque jampridem affirmavit Ariſtoteles ‡, ſcilicet, "Sanguinis omnem partem ſuperfluam in purgationem menſtruam abire."

XXXI.

Plethorae demum exitui faciliori iſtius, uteri vaſcula multo citius, quam caeteroquin per corpus muliebre

 cedunt,

† Sanctor. Keill, &c.

‡ Ariſtot. de hiſt. Animal. Lib. 7. cap. 3.

cedunt, atque favent, quia non ſolum reſiſtentia venarum major eſt, quam quod a ſanguinis arterialis, citato curſu et impetu, facile ſuperari et reſerari queat, uterique laxa compages, et apta diſtendi, parum obſtat quin congeſtio, eruptioque, aut error loci fiat; ſed foeminarum inceſſus arrectus etiam mechanice ad menſes exterminandas multum confert; quemadmodum mulieri ſoli † animalium proprius dicatur lapſus periodicus talis, cercopithecorum genus ſi excipias ‡, in quo pro comperto habemus, ejus veſtigia haud inſolenter ab anatomicis inventa fuiſſe; nimirum, quippe in obeundo ſeſe crebro ſurſum arrigere gaudent; unde determinatio forſan efficiatur talis, pariter ac apud foeminas.

XXXII.

Ita ergo ſtatuimus, plethoram, tam corporis totius, quam organi ipſius, in menſibus educendis ſibi invicem opitulandas; utraque ab inaequalitate inter ingeſta atque excreta ſcaturiens, unde (XXX.) ſanguinis accumulatio

† Ut Plin. "Solum animal menſtruale mulier."

‡ Hom. Princip. Medicin. p. 302. Aſtruc. Malad. des Femmes.

latio insolita et praeter naturam, et aequilibrium disperditum. Nunc facile conjiciendum erit, vasorum hactenus exhalantium dilatationem (quae semper obtinet ad amussim pro ratione data inter sanguinis copiam et impetum, atque uteri resistentiam) globulorum rubrorum tandem ea capacia reddituram, adeo ut cum ultra vim suam contractionis repleta sint, error loci verus extemplo eveniat, et, permeatis horum luminibus, juxta sanitatis normam depleantur. Cur autem, finito profluvio, dispendium tam cito et accurate restauretur, et iterum atque iterum solerti cura redeant menses, haud aliter explicari posse duco, quam ex consuetudinis viribus, tanquam naturae ipsius lege communi recondita, abs rerum primordio designatis, per annorum seriem finitam reversuris, usquedum ad senii *ne plus ultra* perventum est.

XXXIII.

A supra positis prorsus constat postremo, mensium causam proximam cum haemorrhagiae generalis pathologia Culleniana † sat concinne quadrare, et exinde omnia fere symptomata ejus expromi posse.

De

† Cullen. clar. "First Lines," 576.

De Signorum Serie Fluxus Menſtrui.

XXXIV.

Teneram jam ad Ἀκμὴν ſuam provectam virginem, plurimis edocet documentis natura: Hebeſcunt oculi, inſolito ſuffuſi neſcio quali languore; livent et quaſi excavantur palpebrarum orbes; doloribus contriſtatur gravantibus, urentibus, circumcirca lumborum regionem. Adſunt etiam laſſitudo, aliquando cum artuum extenſione et oſcitatione comitata, anorexia, puſtulae cutaneae, et cephalalgia cum febricula, praecurrente quinetiam plerumque leucorrhoea †; mucus enim copioſus, calidus, primum effluit, dein ſerum rubellum, denique ſanguinis ipſius rutili redundantia in corporis libramen plus juſto ubera.

XXXV.

Hiſce greſſibus incedens puellam ſupervenit; nec amplius illi adeſt vegetus roſeuſque genarum color, ſuaviſque

† Haller, Prim. Lin. 559.

ſuaviſque ſpiritus oris ; vultus pallet, marceſcit, quaſi plumbeus ſubflavuſque ſqualet ; indices, undequaque mentiri neſcii, commutationis repentinae quae nuper invaſit.

XXXVI.

Per dies quamplurimum emanare tres perſeverat fluxus menſtruus ; cum autem ultra ſextum tendit, in *morbidam* deinceps perrexiſſe ab auctoribus dicitur effuſio. Quamprimum vero aeſtus fluxit ille purpureus, ſymptomata haecce moleſta levantur, atque evaneſcunt omnia ; mammarum ſororiantium venuſtae orbes intumeſcere incipiunt ; color in faciem redit, et ori gratus ille decor quem exuerat omnis ; lanugine tenella ſua obvelat arcana natura ; ſic demum veluti furculus e ſtipite, omnium evolutione et incremento partium, pullulat puellae forma, et ſe ad ſuae imaginis reproductionem maturam deveniſſe, indicia haud ſubdola praebet.

XXXVII.

Ita fit ergo haecce in virginis penetralibus imis commutatio myſtica, quando initium ceperit eluvio

haec

haec periodica; deinde ad menſis lunaris (unde nomen) terminum recurſura, donec a naturae legibus ad annos provectiores diutius excerni recuſet.

XXXVIII.

In regionibus Septentrionalibus, multo tardius quam in Auſtralibus vel Orientalibus, foeminas adoritur; atque eo citius plerumque, quo lautior atque uberior fuerit victus. Apud nos vix ad annos tredecim vel quatuordecim puellae iſto carere profluvio ſolent; et raro ultra quadraginta novem annorum ſtadium mulieribus perſtat; plurimis equidem ad quadraginta quinque decedere ſolet hoſpes cruentus: Dum, in India Orientali, adeo praecoces ſunt, ut † parturiunt puellae ad annos novem; hiſce contra Laponicae ‡ ſaltem duplo tardiores puerperae.

XXXIX.

Non deſunt exempla foeminarum, quae ſaepius bis in menſe, vel ſaltem ter in menſibus duobus, fluxum per-

† Van Swieten comment. de Morb. Virg.

‡ Linnaei Flor. Lapon.

perpeſſae ſunt, ſine ullo incommodo. Hujuſmodi autem exempla rariora abs norma naturae periodica nequaquam ideo detraxiſſe autumentur. Foeminae etenim, quibus ingreſſus menſtruus vel omnino deficit, vel raro et ad intervalla incerta recurrere ſolet, *ſteriles* maxima ex parte ſunt. Bene igitur dixit Aſtrucius †, " Qui ne fleure pas, ne graine pas."

XL.

Quoniam praeterea, ut ſupra poſuimus (XXIV. XXXII.), tantummodo mulieres conceptui maturas invadit, ceſſatque prorſus in provectioribus, cum haud amplius ad functionem iſtam valeant ; in puerperis quinetiam lochia primo imminui cernimus, deinde ſenſim deficere, tandemque penitus evaneſcere per tranſlationem in mammas (XXVII.) ; quanto enim turgent eae cum lacte, tanto ſanguinis ipſius vis minor aliunde ſtillat : Ab hiſce omnibus idcirco ſimul acceptis, ſatis luculenter porro conſtabit, et ſanitatem et foecunditatem mulierum pendere a debito men-

† Malad. des Femmes.

menſium fluxu; unde libramen aequum et juxta naturam corpori fauſte ſervetur.

XLI.

Multum diſſident auctores quod ad copiam ſanguinis ſingulis vicibus excreti. Nonnulli ad heminas duas Atticas †, (ſcilicet, circiter uncias ſedecim) collocarunt; quidam ab unciis octo ſaltem ‡ ad ſedecim; aliqui uncias ſex vel octo §, quamplurimum excretas eſſe volunt: Alii affirmant ‖ ſex, ſeptem, decemve ſanguinis uncias plerumque expurgari. Fateri autem oportet, ſententiae cujuſlibet horum memet adnectere neutiquam vellem; potius me conſentaneum agnoſco cum ill. De Haen, qui experimentis multis vafris et verſutis, pro comperto habuit atque claro evicit ¶, ſanguinis ad ſingulas vices effuſi menſuram nequaquam uncias tres, quatuor, vel quinque exſuperare poſſe, utplurimum; rarius ad librae ſemiſſam exurgentem;

† Hippocr. de Mulier. Morb.
‡ Aſtruc. Malad. des Femmes.
§ Haller. Prim. Lin. 861.
‖ Hom. Princ. Med.
¶ De Haen, Rat. Med.

gentem; perpaucae (uti affirmat) uncias decem excernere ſolent, niſi uterus aliqua ex parte minime ſanus evaſerit; nec deeſt mihi praeterea in hac ſententia fulcienda auctoritatis clarae copia ſumma. *

Nunc demum omnibus quae ad argumentum noſtrum acceſſaria credidimus praemiſſis, opuſculi partem hancce ad finem uſque perduximus, explicatione ſignorum phyſiologica, quam potuimus concinna et luculenta habita; porro, ut penſum limate exequamur reliquum, de morbis exinde oriundis agere extemplo nos oportet.

* * * * * *

XLII.

Eheu! quam ſexus piget tenerioris, quem aſpera fata premunt, ſorſque acerba! Pignoris hujus optimi coeleſtis erga hominem gratiae, nati in ejus ſolatium, per vitae teſſellatae curas aerumnoſas, ad ſolli-

* B. Exſon, Van Swieten, &c.

citudines atras demulcendas, et frontis rugas illecebris blandis amoris explicandas! Praeter morbos quibus una cum viris infeſtantur mulieres, ab altera (ſcilicet *propriorum*) ſerie, undequaque circumſeſſae multum perpeti ſolent; unde ſaepeſaepius gelidae ſuccumbere libitinae praecoces coguntur. Quale non ideo merent a nobis praeſidium, et quali non cura, ſtudioque diligenti, earum ſalutem proſequi nos oportet! In levamen tutelamque ipſarum operam enixe pro viribus demus, ſuccurrere feſtinemus; medicamina, qualiacunque ſint, quae naturae benigna manus nobis protendit, conſilio ſanitatis earum tuendae vel reſtaurandae, aegris et languentibus commode adhibere diſcamus, ut fauſte ſecundum vota abeant eorum effectus, munereque ita ſupremo conſortium erga noſtrum dilectum auſpicato perfungamur.

XLIII.

In hoc quo melius nitamur, imprimis in animo fuit, morbos foeminarum in genere in duas dividere claſſes, ſecundum Cl. Van Doeveren † methodum:

Primam

† Van Doeveren de Cognoſc. Mulier. Morb.

Primam complectens *univerſales vel communes*, quibus quamvis ſimiliter alter eſt obnoxius ſexus, attamen procliviores ſemper eſſe mulieres ex earum conſtitutione ſingulari, et cauſis caeteris in (XVIII. XIX. XXX. XXXII.) antea enumeratis, ſatis liquebit ; et *claſſem ſecundam* ſiſtentem *particulares* vel *proprios*. Hujus ergo clari veſtigia premens, inveſtigationem noſtram pathologicam praxeoſque ambitum, morbis *particularibus* quibuſdam, nempe iis *virginibus propriis*, accommodare, atque omnino relegare, decrevi : In hoc perficiendo quinetiam, conjeci potius in propoſito fore naturae ordinem inſequi, quam caeteroquin citra methodum morborum ſeriem aggredi.

De Chloroſi ſeu Amenorrhoea.

XLIV.

Cito ac mutationem inivit ſingularem pubertatis corpus virgineum, conditio corporis mobilior inducitur, et ſanguis refluus, niſi vires naturae eum rite expulerint, continuo " ſexcentorum ſit ſexui irrita- " mentum malorum †.'

XLV.

† Hippocr.

XLV.

Cauſae remotae, quae ad morbum huncce ciendum conferunt, inſequentes ſunt:

1. Æquilibrii corporis jactura, vel a plenitudine generali vel partis ſingularis, vel ab utraque orta; quarum illa extemplo graves edit affectus per corpus univerſum; haec vero tardius, in uterum ipſum potius et primario, malignas ſuas exercens dotes (XXX.); plethorae hujus reſolutioni obſtent;

α. Atreſia ſive imperforatio membranae Hymenis.

β. Nimis arctus ſanguini exitus, vel ex nimia cervicis uteri ſeu vaginae anguſtia, vel ab earundem coaleſcentia.

γ. Vaſculorum uteri conſtrictio ſpaſmodica.

2. Cacochymia leucophlegmatica, ubi cordis atque arteriarum vires adeo imminutae ſunt, et vis muſculorum fracta, actioque laeſa, ut ne quidem amplius (utpote caeterae circuitus poteſtates adjuvent) valeant ad fluida iis contenta, per vaſculorum ſeriem extremam, tranſmittenda, uſquedum ad niſus concitatiores atque firmiores quodammodo cieantur; et rem ita ſe prorſus habere, medicamentorum effectus indi-

indicare videntur; remediorum enim topicorum et ſtimulantium uſum effectus feliciſſimos edere, nullo non medico notum.

3. Arteriarum minutarum uteri talis rigiditas, ut ne quidem ſanguinis influxui, quando profluvium incipere vel redire debet, facile cedant; unde vel parcius effundant, vel diutius retardent, vel omnino emittere recuſent. Hinc *ſtadia* morbi ejuſdem *tria* ſunt, interdum ab auctoribus pro morbis diverſis immerito habita, *dyſmenorrhoea*; *chloroſis*, ſeu *emanſio menſium*; et *amenorrhoea*, ſive eorundem *ſuppreſſio*.

4. Annon et incuſare liceat aliquando *humorum vitia*? Sanguinis craſin viſcidiorem chloroticis ineſſe, ſanguinis detractio ſubinde certiſſime ſuadet; et ſymptomata omnia, poſt malaciam et picam in pejus declinare pro certo novimus. Nec eſt unde ſucci blandi et nutritii efformari poſſunt, ab ingeſtorum genere pravo et acri, puta, fructubus immaturis, alumine, creta, atque ſordibus his omnibus, tam avide quaeſitis, tam jucunde depaſtis, quales nimirum fontes cauſaſque cacochylia † agnoſcit.

5. Mentis affectiones quaedam deprimentes, veluti metus, triſtitia, &c.

6. Fri-

† Gaub. Patholog. 824.

6. Frigus ſubitum vel intempeſtive corpori admotum.

7. Aſtringentium abuſus.

8. Morbi praegreſſi; atque omne demum unde corporis robur laedatur, ipſumque ſolvatur et laedatur.

XLVI.

Hiſtoria. Cum ad annos pubertatis provecta eſt virgo, ſymptomata menſium, qualia depinximus (XXXIV. XXXV.) ſibi invicem pediſſequa, in plethorae reſolutionem conamina faciunt ſalubria; quibus ſiquidem contingat, pravus corporis habitus, (XLV.) morbida exinde effluere conſequentia, in ratione inſequente plerumque ſolet.

Eſcae naturalis faſtidium et nauſea, aliquando, cum vomitione; caeteraque functionum ventriculi ſymptomata laeſarum adſunt, et gradatim increſcunt. Ructus acidi, cardialgia, flatus, borborygmi, dyſpepſia et gaſtrodynia; deinde orthopnoea, cordis palpitatio, caeteraeque hyſteriae affectionis ſigna, aegram vexant; aſthenia univerſalis inſtat; venae ſanguine minus plenae eſſe videntur. Pulſus exigui et citi

febri-

febriculam monent ; lingua ſordibus albidis obducitur, et aliquid ingrati ſentitur in ore ſaporis.

Urina ad morbi exordium pallet et limpida eſt, morbo ingraveſcente autem, in obſcure-rubram atque turbidam abit.

Alvus raro ſecundum naturam ſe habet ; interdum enim dejectiones immodicae corporis vires diſperdunt ; utplurimum vero morbus ſecum trahit adſtrictionem parum fauſtam : Excretorum etenim retentio novum ciet in corpore hoſtem.

Hiſce, praeter ſymptomata ſupra memorata, (XXXIV. XXXV.) gradibus incedit amenorrhoea, donec leucophlegmaſia, hydrops, atrophia, tabes vel phthiſis pulmonalis, habitum univerſum vitiarint ; vires corporis radicitus deleverint, penituſque de aegrotante actum fuerit.

XLVII.

Character noſologicus. Cullenus cl. † poſtquam *chloroſin* ad claſſem ejus ſecundam (Neuroſes), ordinem ſecundam

† Synopſ. Noſolog. Methodic.

ſecundam (Adynamiae), atque genus XLV. retulit, definitionem hancce proponit: " Dyſpepſia vel rei " non eſculentae deſiderium; cutis pallor et deco- " loratio, venae minus plenae; corporis tumor mol- " lis; aſthenia; palpitatio; menſtruorum ſaepe *re-* " *tentio.*"

Amenorrhoeam ponit ſub eadem claſſe, ordine autem alia, quarta ſcilicet, (Epiſcheſes), et genere CIX. hujus eſt character, " Menſtruorum *ſuppreſſio.*"

Haud eſt quod horum alicuivis redarguere poſſum; nihiloſecius tuta forſan mihi dabitur licentia iterum ſtatuere, quod morbi ejuſdem ſtadia varia tantummodo praeſtant (a cauſis XLV. utpote crebro aborta), et utriuſque porro ſymptomata multa omni ex parte ſimilia ſunt; etſi noſologiae leges ambos ſub ordines diverſas collocare requiſiverint.

XLVIII.

Cauſae proximae ſunt,

1. Uteri vaſculorum extremorum ſpaſmus ſive rigiditas nimia.

2. Atonia

2. Atonia atque debilitas corporis univerſi, unde talis in fibris moventibus inopia virium atque arteriis, ut ne quidem harum actio atque cordis, reſiſtentiam venarum ſuperare valeat.

3. Vitia uteri ipſius (XLV. 1. a.) ut Hymenis imperforatio, &c.

XLIX.

Diagnoſeos vix opus eſt; morbus enim nullus eſt, qui, ſi ſymptomatum ſucceſſionem rite conſulamus atque notemus, Amenorrhoeam refert; cavendum eſt interdum autem, ne fallamur primis ſignis conceptus, quae pro Amenorrhoeae ſymptomatibus aliquando ſumuntur.

Medicamenta ergo, emmenagoga dicta, nunquam non manu cautiſſima, curaque ſumma, ſuſpectis adhibendae ſunt.

L.

Prognoſis. Si neque a labe congenita, nec vitio organi ipſius (XLV.), affectio haecce ortum duxerit, ſi

nondum ad ſtadia ejus provectiora feſtinaverit, neu ſymptomata in pejus omnino declinaverint, praeſagium plerumque tutum, bonum. Sed, quo longius permanſerit morbus, quo debilior atque annoſior fuerit aegra, eo plus timendum, eo minor in medicina ſpes.

Reductio menſium ſemper medico in proſpectu eſſe, et huc conamina ejus omnia ſpectare debent. Conſequentia enim, hiſce reducibus, ſemper feliciſſima; omne exinde grave ſignum evaneſcit, et rediviva e toro exſilit puella, quam fata jam ſoluturam ſuprema fere dixeris.

LI.

Conſilia medendi. Cauſae quemadmodum Amenorrhoeae complures ſunt, et multum inter ſe diſcrepantes; idcirco in ea tractanda diſcrimen maximum faciendum, atque origo ſedulo reſpicienda.

In tria inſequentia apte redigi poſſe videntur conſilia.

1. Debilitatem tum ventriculi, quum corporis reliqui, amovere. Hae etenim morbi hujuſce fautrices praecipuae therapiae ſubſidia prima poſtulant.

2. Vaſ-

2. Vaſculorum uteri ſpaſmodicam ſolvere conſtrictionem; vel perparcam difficilemque menſium effuſionem, (ut in dyſmenorrhoea) augere.

3. Atreſiae vel vitio partium cuilibet obviam ire, quandocunque res explorata teſtatur morbum ab iſto fonte ſcaturire.

LII.

Ad primum conſilium perficiendum, *tonicorum* et *ſtimulantium* genus multiplex magnopere prodeſſe, pro comperto habemus.

a. Exercitatio omnis, praeſertim equitatio et navigatio.

b. Balneum frigidum.

c. Ictus electricus.

d. Cortex Peruvianus.

e. Vinum.

f. Rubia tinctorum †.

g. Tinct. melampodii ‡.

h. Tinct.

† Vires medicamenti hujus in menſibus educendis admodum in praelectionibus ſuis laudat Hom. noſter illuſtr.

‡ Mead. magni habuit hoc remedium; id ipſe non ſine fructu datum novi.

h. Tinct. cantharidum.

i. Diaeta eupepta.

k. Ferri atque chalybis praeparationes; *Pharmaceuticae*, ut

Flores, et ſal martis, vinum chalybeat. &c.; vel, *Naturales*: ut

Aquae minerales, Pyrm. Spadan. &c.

l. Ligatura † vel arteriae Iliacae compreſſio mechanica.

m. Nuptiae.

Alia ſunt etiam remedia compluria, ab auctoribus commendata, uti marrubium, elixir aloes, mercurialia, antimonialia, &c. quibus ſubinde recurrere cuivis, ſecundum vota ſua, liceat, et pericula tuto faciat, ſiquidem caetera irrita fuiſſe videntur.

LIII.

Ut conſilium exſequamur ſecundum, antiſpaſmodicorum atque ſedantium agmen nobis proſtat; horum uſitatiora ſunt,

a. San-

† Edinb. Med. Eſſays and Obſervations.

a. Sanguinis detractio.

b. Pediluvium.

c. Fotus tepidi regioni hypogaſtricae applicati.

d. Cathartica lenia; uti decoct. tam. cum ſenn. &c.

e. Hauſtus anodyni cum Laud. L. et

f. Clyſmata opiata. †

g. Camphora et moſchus.

h. Formulae variae pil. foetid. e gum. galban. ſagapen. aſſafoetida, &c.

i. Electricitas, aeque ac in prima indicatione curativa, hic etiam valde prodeſſe ſolet; ictibus modicis et raris autem uſurpari debet.

Remedia haecce omnia eo plus auxilii ſecum adportatura promittunt, quo propius opes noſtrae et cura ad menſium periodum ſolitam impenſae fuerint, ſcilicet, quum niſus haemorrhagicus ‡ inſtet: Quippe fruſtra, durantibus menſium intervallis, ſaepenumero medicinae opibus recurritur.

LIV.

† Ex horum apud Noſocom. Regal. Edinenſ. uſu, optimos profluxiſſe effectus, plus ſemel vidi.

‡ Cullen. Firſt Lines, 878.

LIV.

Poſtremo, tertium conſilium medendi hoc fere unico cardine verſatur, ſcilicet, ſanguinis in uteri cavea remoram tollere; membranam Hymenis, hujus exitui obſtantem, cultri dextra inciſione delendo, vel perviam reddendo.

Deinde, operatione facta, ad corporis vires reſtaurandas, ſanitatemque confirmandam, tonica cuncta juvant, et apprime utilia ſunt.

Hactenus de "menſium aberrationibus in defectu," (XIX.) nunc horum circa "exceſſum" pauca loquamur.

LV.

De Menorrhagia.

Cauſae Remotae morbi hujuſce ſunt:

1. Mala uteri vaſculorum conformatio congenita.

2. Omnia quae ad plethoram in corpore gignendam, vel augendam, faciunt, qualia,

a.

α. Profluvii cujuſdam ſoliti ſuppreſſio.

β. Diaeta lauta et nutriens citra exercitationem modicam, ad libramen vaſorum ſanguiferorum ſervandum; unde (XXX.) ingeſtorum et excretorum ratio neutiquam ſanitatis normae obtemperare poſſit.

γ Prava ſanguinem ſaepe mittendi conſuetudo.

δ. Calor nimius, praeſertim ſuppedaneus; unde apud gentes, quibus in uſu hypocauſta ſunt, magis infeſtae ſunt menſium effuſiones immodicae.

3. Quaecunque ſanguinis motum percitant, et uberiorem vaſculis uteri determinationem efficiunt; uti

α. Cibi ſtimulantes, ſaliti, aromatibus conditi, &c.

β. Potio larga, vinoſa, ſpirituoſa, vel fermentata.

γ Niſus violenti vel inſoliti; nempe, inter alvum deponendam, oneribus levandis, ſaltatione, vel a lapſu inopinato, &c.

δ. Exercitatio ad laſſitudinem, vel ultra quam par eſt producta.

ε. Poſt calorem frigus ſubitum.

ζ. Animi pathemata vehementiora, ut ira, gaudium intemperatum, &c.

η. Pur-

3. Purgantium drasticorum atque medicaminum quae menses movent acrium fortiorumque (ut cantharidum, &c.) abusus.

6. Venus nimium culta, forsitan mensibus instantibus.

ι. Morbi praegressi.

4. Quae vires suas in uterum ipsum, vel partes vicinas, exercere solent; uti schirrhi, polypi, ulcera ejus carcinomadea, aliaeque hujusmodi affectiones; pessorum acrium usus; quinetiam et stercus induratum.

5. Ea quae debilitatem corporis universam inferunt, qualia

α. Balnei tepidi usus frequentior.

β. Evacuationes per alvum vel cutem fusiores.

γ. Thea, coffaea, potusque omnes aquosi, quos ad horas vesperas ebibere foeminarum mos est.

Hae ergo praecipuae sunt *Menorrhagiae* origines, quae mihi in proclivi prostant; nunc symptomatum successionem exponere oportet.

LVI.

LVI.

Hiſtoria, Poſtquam, ut in (XXXVI.) memoravi, profluvium ultra diem ſextum permanſerit, morbidum habetur; eo magis etiam quo ingraveſcere obſervantur aſtheniae ſigna. Interdum autem, ſanguinis effuſio violenta intra ſpatium brevius ſubito dilabitur, et ſymptomata ſuperveniunt moleſta, quae ſicut trans metam jaculatos eſſe menſes commonſtrant, medici maximam curam merentur, et ſummam ejus peritiam ad ea cohibenda evocant.

Sanguis ipſe foras ejectus aliquando qualis abs reliqua maſſa aliunde ſumptus videtur; nonnunquam autem coagulorum et quaſi thromborum ſpeciem prae ſeſe fert.

Affectiones quae menſes comitantur (XXXIV. XXXV.) graviores tantummodo, menorrhagiam plerumque antecedere ſolent; praeter has oboriuntur *ſpaſmi* ſymptomata omnia, ut horripilatio, tremor, caloris animalis imminutio, partium extremarum frigus, color foedus, pallidus, alvus adſtricta, urina turbida, parca; hiſce inſequuntur, anxietas; palpitationes; ſpiritus anhelus, creber; pedum manuumque

intumeſcentiae; dorſi, lumborum, ventris, dolores urentes, acerbi; ſyncope, convulſiones; leucorrhoea haud raro paroxyſmos ſingulos praeeunte et claudente: Ventriculi functionibus laeſis paratur chylus imperfectus, pravus, aegre aſſimilandus; (XLV. 4.) unde atrophia, cacochymia, &c. viam ad morbos ſequaces, veluti tabem, cachexiam, hydropem, anaſarcam, ſternentes; qui, niſi a morbo primario abripiatur aegra, eam tandem e medio tollunt.

LVII.

Character noſologicus. Prae caeteros omnes mihi eminere videtur iſte Cl. Cullen *.

" Dorſi, lumborum, ventris, parturientium inſtar, " dolores; menſtruorum copioſior, vel ſanguinis e " vagina praeter ordinem, effluxus."

LVIII.

Cauſae proximae proſtant,

1. Con-

* Synopſ. Noſolog.

1. Congeſtio ſanguinis in vaſculis uterinis, et eorundem exinde actio adaucta.

2. Totius corporis, uteri autem praecipue, debilitas.

3. Vitia uteri ipſius (LV. 1. 4.).

LIX.

Diagnoſis facilis: A menſium enim naturali effluxu, menorrhagia ſolummodo diſcriminanda eſt; et, notis pathognomonicis paucis inſequentibus fretus, nemo, me judice, circa hoc falli poterit. Quando, praeter menſium ſigna (XXXIV. XXXV.) recenſita, partium extremarum frigus et intumeſcentia, oris pallor foedus cum facie Hippocratica dicta; anxietas major, pulſus citus, parvulus, aegram in pejus diruere monent; praeſertim ſi in ſyncopen collabi interdum inceperit, tunc in menorrhagiam defeciſſe procul dubio habeatur.

Vires autem foeminae nunquam non praecipue reſpiciendae ſunt; ab his etenim arctius perſcrutari et dignoſcere poſſumus quantum inter utraſque diſcrepat affectiones.

LX.

LX.

Prognoſis. Quando a vitio organico congenito vel acquiſito (LV.) originem ceperit morbus, cum temporis ſpatio brevi ſanguifluxus immodicus fuerit, et vires foeminae omnino defecturae videntur, ingens et praeceps periculum inſtat. Cum autem cauſae remotae leviores, et morbi ingreſſus mitiores fuerint, cum ſanguinis diſpendium, tempore dato, minus fuerit (tametſi ejuſdem copia tandem adaequaverit diſpendium, quod ſpatio breviore, maxima incommoda et pericula ſecum traxiſſet) meliora praeſagiunda : His etenim naturae ipſius vires jacturam cito reficiunt, pluſque auxilii admoveri poteſt effuſioni gradariae. Quando etiam ſigna fluxum praegreſſa mitigari inceperunt, cum leucorrhoea ante et poſt effuſionem parcius ſtillat, atque dolores leniri coeperunt, cum remedia adhibita, ſymptomata quaedam graviora vel emendaſſe vel ſublevaſſe videntur ; ſpes nobis altrix optima nunquam non refulgere debet.

LXI.

Consilia medendi. In morbo hocce debellando, therapiae subsidia prima postulare videntur insequentia.

1. Omnia quae ad plethoram gignendam conferunt praecavere.

2. Actionem adauctam vasculorum uteri moderari.

3. Vim sanguinis ab hoc viscere avertere, et in cutem elicere.

4. Tonum systemati toti conciliare, uterique ipsius debilitati quadantenus occurrere.

LXII.

Ad consilium primum summopere valent,

α. Coelum frigidius.

β. Diaeta parca.

γ. Cubilia duriora, cum stragulis paucis superinjectis.

δ. *Excreta* revocare suppressa

Naturalia.

αα. Cutis —— Diaphoreticis.

ββ. Alvi —— { Catharticis et Clysmatibus.

γγ. Renum

γγ. Renum —— { Diureticis refrigerantibus.

Praeter Naturam.

αα. Seroſa —— { Setaceis et Fontanellis.

LXIII.

Ut ſecundum exſequamur conſilium proſtant,

α. Corporis requies.

β. Sanguinis detractio.

γ. Potus aciduli, ex aqua gelida, cum

1. αα. Limonum et aurantiorum ſucc.

ββ. Spirit. vitriol. ten.

γγ. Cremor. Tart. Aceto, &c.

α. Decoct. fruct. ſubacid. ut cydonior. pomorum, &c.

δ. Pediluvium frigidum.

ε. Calorem cubiculi rite moderari; atque ſtimulantia omnia externa, velociorem ſanguinis rivum incitantia, declinare; cavendum ergo neutiquam ad aras Hymenis ſacrificare, ne cum hoſtia ſimul mactetur ipſa ſacerdos.

LXIV.

LXIV.

Tertium consilium adhibitionem amplectitur,

α. Tartar. emetic. vel solut. antimonial. ad nauseam absque vomitione ciendam *.

β. Pulv. Ipecacuan. &c. ad liberam emesin (vid. Ind. 1. δ. αα.)

LXV.

Ea quae ad consilium conveniunt quartum sunt,

α. Tinctur. flor. rosar. ad gratum acorem, cum spir. vitr. ten. &c. conciliata.

β. Cortex Peruvianus.

γ. Victus nutriens; parum stimulans vero, et concoctu facilis.

δ. Gelida pubi admota.

αα. Frigida lavatio.

ββ. Imum venter linteis aqua maceratis algente, subinde renovatis, per aliquod spatium madidum servare.

ε. Ad

* Vires remediorum hujusce ordinis a celeb. B. Robinson, M. D, pulchre adeo indagatas, Cullen. praeclar. (in Praelectionibus suis) propria invenit experientia vera theoria inniti, funditusque eorum sancivit usus.

ε. Ad vina generoſa meracia (defecturo jam aegrotae ſpiritu) interdum confugiendum erit.

Denique, aëris temperies reficiens gelidior (LXII. α.), potus aciduli; (LXIII. γ.) ſedantia, quae ſanguinis plethoram et fluentum minuere et moderari queunt, atque tonica quae tum ad genus nervoſum reficiendum, et ad mobilitatem ejus compeſcendam, quum ad partes ſolidas omnes firmandas et conſtringendas valent, in affectus hujus curatione, votis praecipue noſtris reſpondent.

LXVI.

De Leucorrhoea, ſeu Fluore Albo.

Cauſae remotae. Praeter haſce quas itidem cum Menorrhagia (de quibus ſatis fuſe nuper) agnoſcit morbus hic, alteram adhuc incuſat, ſcilicet,

Glandularum uteri mucoſarum (VIII.) ſtatum talem morboſum, ſeu, ſi malueris, debilitatem, ut excretionem

nem auctam liquoris viſcidi ad genitalia lubricanda dati exſtillent: Hic etiam non ſolum a glandulis in uteri cavea poſitis, ſed inſuper ex iis in vaginae meatu collocatis, illachrymaſſe autumetur.

Quando (ut in diagnoſi poſthac notandum) talem agnoſcit fontem ac ſupra dictum leucorrhoea, hanc potius cauſam praebere debilitati generali, ſymptomatibuſque exinde profluxuris, veriſimile eſt, quam deuteropathice, ut ſaepius creditur forſan, ei inſequi.

LXVII.

Hiſtoria. Quandoquidem ſupra (XXXIV. XXXV.) de menſium profluvio agentes, ſigna ei antecedentia et inſequentia catervatim depingere oportuit; et poſtmodo (XXXIV.) excretionem diximus hanc ab eadem vaſculorum ſerie utplurimum fieri ac menſtrua ipſa, pauca tantum adjicienda impraeſentiarum ſuperſunt.

Cum tanta debilitas aegram invaſerit (LV. 4. et 5.) qualis arterias minutas uteri, poſt ſanguinis lapſum periodicum, vi reſiliendi ſua privare exiſtimetur, adeo ut priſtinum recuperare vigorem neque-

ant, oportet ut feceſſio fiat pigra e ſanguinis maſſae partibus tenuioribus; ſcilicet, per eluvionis cujus morbidae exceſſum vel indolem vitiatam (ob remoram in uteri cavea atque vaginae meatu) omnia morbi hujus ſymptomata exinde profluxura facile originem trahent.

Nunc denuo complures praeter affectus (XXXIV. LVI.) jam recenſitos, id quod mihi in hoc locorum adhuc deeſſet, a celeb. iſto naturae aſſectatore * exprompſi, et verbis ſubjungere ipſius fas eſſe duco, nimirum, quod nil accuratius ipſe adjicere potuerim: "Quod effluit modo album, modo pallidum, flavum, "viride, aut ſubnigrum; modo acre et erodens, tetrum "quandoque et graveolens; decoloratur facies; dolet "ſpina dorſi; proſternitur adpetentia; oculi pedeſ- "que intumeſcunt."

LXVIII.

Character Noſologicus. Ne tramitem quem olim preſſi dereliquiſſe videar, definitionem morbi curtam atque ſimplicem a Culleno Clar. traditam mutuare placet:

* Sydenham. Proceſſ Integr.

placet: " Menorrhagia ſeroſa, in non gravidis, ſine vitio " locali." Cur a ſententia noſologorum diſſentiam aliorum (quippe, qui ſemper in muci veri excretione praeter naturam aucta, morbum poſuerunt,) ſatis intelligatur a pathologia ſupra tradita. Minime gentium abnegare animus eſt quin altera ſpecies " cum " vitio locali" quaſdam, ſed longe pauciores, in pejus feſtinandi pro cauſa ſit.

LXIX.

Diagnoſis. Morbus nullus praeter gonorrhoeam leucorrhoeae ſpeciem induere videtur: Ea quae diſcrimen inter utrumque potiſſimum efficiunt, ſunt,

In *Leucorrhoea*, effluxus plus minus a menſium periodo morem gerit; eos enim fluor albus ſemper praegredi atque ſtipare animadvertitur, ut olim (XXXVI.) admonuimus: Quo fuſius quinetiam menſes promanſuri ſunt, eo abundantius leucorrhoea praecurret, atque eo longius, his finitis, affatim dilabendo immorabitur.

Gonorrhoea contra menſium periodos minime reſpicit, at promanare perſtat eadem ratione, tum e mediis tem-

temporibus, quum ante et poſt excretionis ſanguinei aeſtum ſolutum; neve ſpina dorſi moleſtia afficitur, &c.

Leucorrhoea, niſi in ſtadiis ejus provectioribus, materiem ex flavo viridem, acrem vel exedentem, haud ſuppeditare ſolet; neque cum ſenſu caloris in vaginae aditu, nec pruritus moleſti, ut in *Gonorrhoea*, conflictatur aegrota; nec ardor urinae, quod ſignum fere pathognomonicum praebet, ut in *hac*, leucorrhoea laborantibus adeſt.

Quidam volunt tentorium in vaginam rite immiſſum morbi ſedem bene praedicare poſſe; nam, ſi pars ejus ſuperior materie inquinetur, uterus in culpa habeatur, ſi vero inferior, vagina: Diſplicet mihi autem judicium tale; pathognomonica certiora aliunde ſcrutanda ſunt.

LXX.

Cum eluvio tempora menſtrualia obtemperare non cernitur, atque nullatenus concubitum impurum ſuſpicari poſſimus (LXIX.) vitia vel in utero ipſo, vel in vagina, vituperanda ſunt. Si pedetentim irrepſerit

ſerit affectus, habituſque depravatus ſimul adeſſe videatur; ſi dolores acuti, lancinantes, imum circa venter valetudinariam angant; ſi loco ſeroſi, vel puriformis fluidi, ichor prodeat mali moris, odorem ſpirans gravem putidum; non ſolum glandulas ſeſe male habere ſuſpectas habeamus, ſed ulcera etiam magnopere pertimeſcenda ſunt, debilitatiſque pediſſequae phalangem ſignorum hac porta corpori irrupiſſe jure cenſeatur.

LXXII.

Prognoſis. Quando leucorrhoea junioribus accidit; cum in ſtadia ejus pertinaciora nondum proceſſerit; cum materiae excretae color albus in citrino viridem vel tetrum atque nigricantem vix mutatus fuerit; cum vires foeminae fere integrae manent; nec morbus a Menorrhagia gravi vel affectibus uteri ipſius pependerit; tuta, utpote tarda, aegrae ſperanda morbi terminatio.

Cum autem poſt ſanguifluxum menſtrualem praelargum, diu et immodice morbidus demittitur imber fluoris, ſi in univerſam habitus corporis corruptelam collapſa

collapſa fuerit, atque febricula lenta, hectica, robur corporis collabefactaverit; cum etiam proluvies tetra graveolens induſium aegrotantis diu conſpurcare ſolita eſt, praeſertim ſi jam conſenuerit foemina; malum eſt.

LXXIII.

Si mente volvamus conſecutionem parum fauſtam morbi de quo agitur, ſcilicet, qui fruſtratam omnem amoris pharetram reddat inter mariti amplexus, utpote thalamum ipſa genialem conſcendat facibus Cupidinis accenſa nubilis virgo, nemo talem conclamet indignum eſſe attentione noſtra, vel male locatum auctoris laborem inculpabit. Fateri cogitur "ex fumo dare lucem," in hoc morbo chronico, ſe nullatenus ſpe ſuffulciri; nec rationem medendi tradere, nec remedia commendare, quae ad hoſtem radicitus exſcindendam vires edant felices, ſi invaluerit morbus. Si in hoc ſtatu ne ſigna in pejus ruant praecavere poſſimus, et ea ſubinde mitiora reddere nobis detur, vix ulterius pollicori audemus. Nec illico abjicienda remedia quorum mentionem facere operae

operae pretium habui; potius induſtriae noſtrae calcari ſit medicaminum inopia agnota, ut locupletiorem reddere artem ſalutiferam conemur, et eam ditare remediis nondum excogitatis inter medicos certamen fiat.

LXXIV.

Conſilia medendi in leucorrhoea apte relegantur ſequentibus:

1. Debilitati corporis totius obviam ire, atque vires uteri praecipue redintegrare.

2. Glandularum mucoſarum uteri atque vaginae ſtatum morbidum in ſanum reducere.

3. Vitia omnigena uteri ipſius fugare.

LXXV.

In horum primum optime conferunt conſilium,

α. Omnia fere tonica, jam in (LXV.) memorata, liberius adhibita; inter quae multum eminere videtur *balneum frigidum*; exercitatio modica, atque ſtimulantia cardiaca, ut vinum, &c. multum valent; cum parca manu autem.

β. Facultates gummi kino, quippe a claris quibuſdam adeo laudatae, non deſpiciendae. Reſtringentia

tia omnia etiam, ut alumen, colcothar vitriol. &c. atque id omne genus tum vegetabilia, quum foſſilia, jure pretio habentur.

γ. In Belgia abſorbentium invaleſcit uſus hoc in morbo. An acidum in ſtomacho dyſpepticis ſubigendo, adeoque debilitatis cauſam unam amovendo, vires tales felices edere poſſint?

LXXVI.

Ut conſilium exequamur ſecundum, proſunt Injectiones reſtringentes, ſedantes, ex Aq. vegeto-min. Goulard.; Sacchar. Saturn. Vitriol. Alb.; omnia denique, quae plumbum vel zincum pro baſi eorum vendicant, ſub hoc capite collocari debent. Quando in uteri cavea morbus latere autumetur, ſummopere vereamur, ne liquores in adyta haecce tales injicere prohibeat natura: Semper autem non niſi prudentia ſumma utendae.

LXXVII.

Si ſchirri adſint, eorum quibus poſſumus modis extirpatio molienda; ſi ab ulceribus vel uteri carci-

nomate

nomate affectus pendeant, medicamina alterantia usurpanda, habitusque depravatus summis pro viribus corrigendus.

Nunc denique jacta alea, et his qualiacunque sint publici juris factis, almae huic Academiae non prius valedicere possum, quam Professoribus ejus claris grates cordatas agam, quorum praelectiones me tyronem imperitum elementis medicinae excultae primum auspicato imbuerunt; qui etiam me tandem in Arte Apollinea ad summos feliciter evexerunt honores.

Alii adhuc supersunt, quos, siquidem silentio praeteriissem, me commisisse piaculum crederem; et quibus obolum, discessurus alumnus, grati animi indicium persolvere laetor, ——scilicet,

Andreae Duncan, M. D. et Joan. Aitken, chirurgo peritiss. non solum ob fructum quem ab eorum praelectionibus practicis conquisivi, sed quia munera mihi plus semel amicorum praestiterunt, atque comitatem in me exercuerunt immeritam, cujus nunquam non memoria assidue fovebo recordationem gratam.

Quid ſileam vos, ſocii ornati? quorum per annos aliquot in Comitiis conſedi, atque aure ſitiente diſceptationes veſtrum de re medica argutas hauſi. Teſtimonia in me a vobis collata ſemper magni aeſtimabo, atque honori ducam.

Diu vigeant intra pomaeria hujus Academiae Societates Medicae omnes; atque earum excultores artem quam profitemur ſecundo in altius promoveant, in honorem ſuum atque humani generis commodum!

4 Ol 58

FINIS.